



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

4. De ordinatione rationis ad actu[m] iudica[n]di.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

Porro alia historia delectant quidem cum leguntur, sed non edificant: quin potius mentem inficiunt: & in tempore orationis vel spiritualis meditationis inutilia quæque vel noxia scaturire faciunt memoriam. Lectionis quidem modum sequi solet similis meditatio. Difficilium etiam Scripturarum lectio fatigat, non reficit teneriorem animum: frangit intentionem: hebetat sensum vel ingenium.

*De ordinatione rationis quantum ad actum iudicandi.*

CAPVT IIII.

**O**Rdinanda est ratio, quantum ad actum iudicandi, ut ab his que non sunt nostri iudicij, humiliter se temperet: ea vero que sunt nostri iudicij, diligenter examinet. Nostri iudicij non sunt, que nobis incerta sunt. de quibus dicit glossa, super illud: Nolite iudicare. Duo sunt, in quibus temerarium iudicium cauendum est. Sunt enim quedam media & incerta, de quibus ignoramus, quo animo fiant, que bene vel male possunt fieri. Nescimus qualis futurus est, qui nunc apparet malus: de cuius correctione desperare, eumque quasi abiectum reprehendere, temerarium iudicium est: Nolite ante tempus iudicare. Inferiores etiam non debent iudicare superiores. *Glos. super Matt. 7.* Temerarium est, quando quibus commissum non est, iudicant. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? *Rom. 14.* Ea que nostri iudicij sunt, diligenter sunt examinanda. Senec. Prudentis est examinare consilia: & non facile credu-

*Matth. 7.  
Glossa ord.  
ibid.*

*1. Cor. 4.*

*Matth. 7.  
Rom. 14.*

*Eccl. 19.*

credulitate ad falsa prolabi: Qui cito credit, leuis corde est. Non est admittenda sententia in consensu credulitatis, nisi examinata. Seneca Opiniones tuæ iudicia sint. Sicut in disputationibus non admittimus, nisi manifestè vera: vè quæ vis probationis extorsit: sic & consensum credulitatis non debemus admittere, nisi vel manifesta sint, vel ea de quibus sit nobis plena fides. quod præcipuè seruandum est in his quæ non expedit nobis credere: vt sunt mala de proximo, vel bona siue alta de nobis. Mala credita de proximo faciunt ad hoc, quòd eum despiciamus, vel minus eum amemus: quæ nobis non expediunt. Alta credita de nobis, reddunt nos tumentes, & bonorum insusceptibiles: Vt

*Isa. 5.**Rom. 12.**1. Tim. 6. 11.*

qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes: Nolite esse prudentes apud vobismetipsos: Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublimè sapere. Magna æstimatio sua est velut albugo in oculo interiori, visum impediens. Gregorius in pastoralis: Pupilla oculi nigra videt: & albuginem tolerans nihil videt quia humanæ sensus cogitationis si stultum & peccatorem se intelligit, cognitionem claritatis apprehendit. Si autem candorem sapientiæ seu iustitiæ sibi attribuit, à luce se supernæ claritatis excludit. Vbi humilitas, ibi sapientia. Gregorius. Prima stultitia angeli fuit elatio cordis. Vera

*Lib. 1. pastor. ca. 6. 11.*  
*à medio.*

*Pro. 11.**Bernard.*

sapientia hominis, est humilitas suæ æstimationis. In libro de vita solitari: Omnis superbia est stulta.